Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1353

Quelle:
Copyright:

cis distinctus exhibet *Odonis Abbatis Morimundensis* Ord. Cist. Scriptoris Sec. XII. qui anno 1161. ut habes *Galliae Christ.* T. IV. inter *Abbates Morim.* e vivis excessit, Opus de sacris numerorum Mysteriis, eruditum id quidem, sed subinde sat difficile intellectu. Inscriptio miniata haec est: *Incipiunt Analetica Odonis abbatis. id est resolutoria numerorum et rerum in theographiam.* Partes praecipuae distinguuntur *tres*, quarum *prima* de Numeris in genere et de Unitate, *secunda* de Binario, *tertia* de Ternario agit. *Pars prima* in *Clausulas*, atque hae rursus in *Subdivisiones* abeunt, quarum singulis *Capitum* praefixa sunt *Argumenta*. Post primam *Capp.* Seriem haec rubrica legitur: *Incipit Prologus in quo materia operis utilitas rei. eminentia numerorum. et future dictionis partes aperiuntur. Capitulum. I. Que sit materia Operis. Velle adiacet michi numerorum et rerum figurationes analeticas* (analyticas) *reuerenter in omni theologia disquirere ad introductoriam de ipsa cognitionis institutionem. Cuius ad ipsam institutionis scientia quantum eandem illuminet uel etiam amplificet ex ipsius eiusdem theographie perscrutatione comperietur uicinius.* C. II. modus agendi traditur: *significantias numerorum et rerum curabimus expedire ut nouimus, hoc est secundum enumerationem causam et genus. — Secundum enumerationem euoluemus, si dicemus quot significationes suscipiant singuli numerorum et singule rerum de quibus differere conabimur. — Secundum causam euoluemus, si notum faciemus cur eas suscipiant. — Secundum genus, si palam faciemus sub qua significandi maneria* (modo, maniere, seu etiam forulo, loculo) *hec aut illa significatio cadat* &c. C. III. datur distributio totius operis: *Actio prime particionis erit significantias tradere numerorum, rerum alterius. Neutra tamen tradet omnes omnium, nec omnium aliquas, nam forsitan aliquorum omnes.* &c. Atque ita *Primus Tractatus* procedit per III. *Clausulas*, quarum I. et II. *Subdivisiones tres*, III. vero *Capitula duo* habet, quae rursus in *Distinctiones* secantur. Tractatus hujus ultima verba sunt: *uirtutum iniciis deputare possumus et debemus.*

Fol. 35. p. 2. incipit *Pars* II. hoc rubro: *Incipit tractatus de sacramentis dualitatis.* Continet *Distinctiones* VII. quarum singulis *Elenchus Capp.* praemittitur. Initium Operis est: *Sequentia suscipiendę Disputationis significantias tradere dualitas exquirit.* Finis: *Nunc paucis diebus morabor ipse mecum. et computatis sumptibus. qui necessarii sunt ad perficiendum. aggrediar ternarium. et nouis illustrare significationibus. et multiplicibus efferre Mysteriis.*

Fol. 89. itaque *Pars* III. sequitur hoc rubro: *Incipit tractatus de analeticis ternarii.* IV. haec *Distinctiones* habet praemisso singulis *Capp. Elencho.* Orditur vero: *Ad quas quarum rerum et cur*